



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. 3. de Clericis Conjugat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

sum minus rectum. Scandalum autem passivum est ipsa ruina, seu peccatum, in quod labitur proximus occasione alterius. Quod dividitur in *datum*, quod oritur ex activo. Et in *acceptum*, quod oritur ex ipsius sumentis malitia. Quale erat Pharisæorum in Christum, unde & pharisæicum dicitur. Busenb. lib. 2. tr. 3. c. 2. *dub. 5. art. 1.* ubi plura.

*Ad num. 2. in fin. adde:* Clerici non debent secum in domo retinere mulierem suspectam de incontinentia, etiam si sit mater vel soror. Gonz. ad cap. *inhibendum* 1. h. t.

Clerici concubinarij per suspensionis, excommunicationis & depositionis beneficij pœnas cogendi sunt concubinas dimittere, eas autem abjurare compelli non debent. Gonz. ad cap. *si autem* 6. h. t.

### AD TIT. III.

#### *De Clericis conjugatis*

**A**d num. 3. in fin. Hinc Alexander VI. dispensavit cum Cæsare Diacono Cardinali, ut uxorem duceret, item cum Domino Antonio Lusitano Priore de Otrato Ordinis Militaris Sancti Joannis dispensatum fuit, qui & postea in Gallia nupsit, Item ad instantiam Philippi II. Regis Catholici cum Archiduce Alberto Diacono Cardinali, ut duceret uxorem Elisabetham Castellæ Infantem. Rursus Clemens VIII. dispensavit cum Roderico Entiquez Diacono & Archidiacono Matrili. Et Paulus V. cum Francisco Chacon Archidiacono Toleti, &

cum Lupo de Mendoza Subdiacono. Ita Franc. de Arauxo. *De Stat. Eccl. Tract. 2. q. 19. n. 29.* qui n. 30 tenet, non requiri ad hanc dispensationem causam publicam, sed sufficere privatam, imò dispensationem esse validam, licet causa non sit.

*Ad num. 4. in fin. adde.* Objici solet Can. volumus. 24. *dist. 81.* qui ait: Volumus ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, exceptâ duntaxat matre, sorore, vel uxore, quæ castè regenda est. Intellege vel juxta priora tempora, vel de uxore, quæ senex & votum castitatis emisit, ut non sit periculum. Gl. Unde additur: quæ castè regenda est.

Objicit Can. *Presbyter 9. dist. 28.* qui habet: *Presbyter si uxorem duxerit, ab Ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici, & ad pœnitentiam inter laicos dirigi oportet. R. Si uxorem duxerit de factò, non de jure.*

Dices: ergò deberet gravius puniri, quàm fornicator, quod tamen non fit. Respondeo 1. posse dici, quod gravius puniatur, quia depositio est vera pœna & perpetua, excommunicatio tantùm medicinalis.

Resp. 2. Negando illatum. Quia non procedit argumentum in pœnali-bus. Ratio: quia prius non fit frequenter, sicut fornicatio. Sumptâ instantiâ à similitudinaria bigamia.

\* \* \*  
\* \*

AD